

3. *Qua terra fertilitas?*

Tanta, ut Europæ Paradisus appellari haud injuriâ possit; nam vinum generosum, poma optima omnis generis, sericum, resque alias ubertim suppeditat.

4. *Qua Italia divisio?*

In superiorem, mediam & inferiorem dividi percommode potest. In parte superiore seu Boreali septem sunt Ducatus, nempe Sabaudia, Pedemonium, Mons-Ferratus, Ducatus Mediolanensis, Parmensis, Mutinensis & Mantuanus. Tres item Republicæ, Veneta, Genuensis & Lucensis. In Italiæ meditullio ditio est Summi Pontificis, & magnus Hetruriz Ducatus: in parte inferiore seu Australi regnum Neapolitanum. Italiæ circumjacent Insulæ majores Sicilia, Sardinia, Corsica, & Melita, cum minoribus quibusdam.

5. *Qua urbs Italiæ primaria?*

Roma, Imperii primum profani, imò & veteris orbis univetsi caput; inde verò Imperii Ecclesiastici, non per veterem duntaxat, sed novum insuper orbem quaquaversus dilatati metropolis, Summique Pontificis & Christi in terris Vicarii sedes.

6. *Qua Religio?*

Sola hic religio Catholica sedem fixit stabilem, nullis unquam inferorum machinis evertendam.

7. *Qui Italorum mores?*

Perspicaci sagacique sunt ingenio, ac rerum omnium capaci. Dicuntur tamen astuti, subdoli, gloriæ, vindictæ & pecuniæ tenaces non minus quàm appetentes, ac medium quodammodo tenere Hispanicam inter gravitatem & levitatem Gallicam.